

6 *Quod de specie affirmatur vel negatur, id etiam de genere particulariter affirmari vel negari est necesse.*

Ut, Quidam morbus est incurabilis; ut podagra inveterata, quam poëta vocat nodosam. Quidam affectus suâ naturâ est vitiosus; quia invidia. Effertur & sic canon iste: *Quodcumq; convenit alicui speciei, convenit etiam generi ex parte.*

Probatio  
dictica è lo-  
co testimo-  
nii.

### Canones de testimonio.

1 *Qualis est testis, tale est testimonium.*

Si testis est verax, testimonium etiam est verum. Si testis est mendax, etiam testimonium est falsum. Hic tamen canon patitur exceptionem: ut, Diaboli testimonium fuit verum, cum dixit Jesum esse Filium Dei.

2 *A testimonio necessario ad testatum necessaria est consequentia:*

Ut, Vidi te in campo. Ergò ibi fuisti.

3 *A testimonio divino rectè intellecto, & appositè allegato, ad testatum necessaria est consequentia, tam negativè, quàm affirmativè, in rebus ad salutem pertinentibus:*

Ut, Scriptura testatur, fore judicium universale. Ergò certò erit. Scriptura nihil habet de ubiuitate corporis Christi glorificati. Ergò illud dogma est commentitium.

4 *Quod natura omnes docet, id verum est:*

Ut, Esse aliquod Numen; Pro patriâ esse pugnandum.

5 *Quod omnium sanorum consensu tenetur, & semper receptum fuit, id verum est:*

Ut, Animam esse immortalem.

6 *Quod sensus interni vel externi omnibus hominibus dictant, id verum est:*

Ut, Parentes esse colendos; Ignem urere. Per testimonium sensus interni intellige testimonium conscientiaë.

7 *Testimonium fidei est infallibile.*

Ratio: Quia Spiritus sanctus testatur unâ cum spiritu nostro. Sic ergò firmiter concludit fidelis: Credo me propter

pter